5.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

SCROFULA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ADAMUS ROBERTSON,

SCOTUS.

Nulla re homines propiùs accedunt ad DEOS *quàm salutem hominibus dando.* CIC.

VIII. Calend. Jul. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1809.

VIRO EGREGIO,

JOHANNI VANS AGNEW,

DE BARNBARROW,

ARMIGERO,

ANTIQUA STIRPE DE VALLIBUS ORTO,

SCIENTIA HOMINUM ET MORUM,

CÆTERISQUE VIRILIS ET EXCULTI ANIMI DOTIBUS

INSIGNI;

PROPTER MULTA BENEFICIA,

A SE ET PATRE IN EUM COLLATA,

HÆC SACRAT

AUCTOR.

VIRO ADMODUM REVERENDO,

SAMUELI CHARTERS, SS.T.P.

WILTON,

CUM PIETATE ERGA DEŪM

ET CHARITATE IN MISEROS,

TUM VARIA DOCTRINA ET CULTU,

ORNATO,

ARTESQUE BONAS CALLIDE SENTIENTI,

(PRO PATRÏO AMORE IN EUM, PATRE ORBATUM,

SEMPER AMANDO ET HONORANDO);

HOCCE OPUSCULUM, QUALECUNQUE SIT,

IN TESTIMONIUM SUMMÆ OBSERVANTIÆ,

NEQUE IMMEMOR BENEFICIORUM,

PALAM OFFERT

ADAMUS ROBERTSON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCROFULA.

Auctore Adamo Robertson.

SI mihi in mentem venerat præceptum poëtæ, "Quid valeant humeri, quid ferre recusent, versate diu," cùm primùm scribere de Scrofula instituerem, fortè a proposito destitissem, quippe onus viribus iniquum. Qui hodiè de hac re tentamen facere audet, illi experientia multorum annorum in medicina felicitèr agenda peractorum (quæ quidèm mihi deest), necessaria

esse videatur. Hæc tamen habeo quæ dicam.

Morbus de quo hìc agitur antiquioribus benè innotuit. Apud Græcos scriptores appellabatur Χοιρας, nomen etiam pro sue positum, propterea quod in hoc animali sæpissimè sese ostendit. Et hinc quoque inter Latinos nomen habet Scrofulam et Strumam; *scrofulam*, a *scrofa*, quod nomen triviale sui est; et *strumam*, ut quibusdam placet, "quia structim quasi ascendat." In hac nostra regione, per multos annos, usquè a temporibus Edouardi illius Confessoris, dictus est vernaculo sermone *The King's Evil*, quippè illi tangendo reges mederi conati sunt. Hoc cum proposito, ut constat ex Actis Sacelli Regii, Carolus ille Secundus manus suas ferè nonaginta millibus ægrorum paucis annis imposuit. Atque nupèr andivi unum, cui fides debetur, dicentem, Ludovicum illum XVI., quo die corona capiti imposita fuisset, tria millia suorum subjectorum tetigisse.

Hic

Hic morbus a nostro celleberrimo CULLENO in classe sua *Cachexiarum* et ordine *Impetiginum* recensitus est, hisque verbis describitur: "Glandularum conglobatarum, præsertim in collo, tumores; labium superius et columna nasi tumida; facies florida, cutis lævis; tumidum abdomen." Attamen character ejus meliùs ac pleniùs intelligetur ex historia morbi, atque quas induit formis, in suo scilicet progressu.

Nulla ætas, nullus sexus, aut vitæ genus, scrofulæ tutamen offert. Fœminæ sæpè corripiuntur, catameniis primò instantibus. Huic autem, ut quidèm multis aliis morbis, infantes sunt magìs obnoxii. Sese rariùs manifestè prodit, primo anno vitæ volvente; a secundo, aut etiam a tertio, sicut alii rectiùs habent, usque ad decimum secundum vel decimum tertium annum, suum ferè extendit imperium lethale.

An sit morbus solidarum partium, an fluidarum, adhuc sub judice lis est. Ab HIPPOCRATE describitur tanquam morbus in glandulas sub forma tuberculorum irruens, "quæ humoribus

humoribus ex reliquo corpore per multas et cavas venas influentibus aucta," tandem evadunt tumida et dura. In glandulis quidèm, sicuti propriis sedibus, sæpissimè apparet scrofula; sunt autem quoquè aliæ sedes; namque in membranam cellulosam, musculos et tendines; in cor, demùm ossa * artusque, premit etiam sua vestigia. Si credendum sit quibusdam auctoribus, cerebrum nonnunquàm infestat †. Scrofulam in variis familiis unum locum, aliis posthabitis, suo inficere veneno, quidam pro certo habent. Nullum parotidis læsæ exemplum mihi occurrit, vel ex meis observationibus vel aliorum, quamvis hæc glandula valdè obnoxia est scirrho carcinomatique,

---

* Sæpe in cariem sui generis, quæ nomen habet *spinam ventosam*, vertitur: nunc per totum os tumidum factum sese ostendit; nunc desinit in nodos discretos. Duas exostoses hujuscemodi noster celeberrimus Monro ex spina excedit, libras duas vel tres pendentes.

† Vide "Edinburgh Medical and Surgical Journal," tom. ii. ad pag. 403.

matique, quocum scrofula facilè internectitur.

Interdum initium ducit ex glandulis lymphaticis partium externarum afficiendis, quod vel pro forma discreta mali (*scrofula vulgaris* CULLENI), vel pro signo læsionis mesentericæ, habeatur. Dum facies forsitan adhuc florida et decora apparet, glandulæ occipitis, necnon quæ fauces et cervicem circumdatæ, tumere cœperunt. Primò quidem sunt molles, mobiles, ejusdem ac cutis coloris, neque ita magnæ molis; sed gradatìm formam tuberculorum durorum accipiunt, colore naturali subflavum permutant, et, magnoperè aucta, partibus vicinis adhærent. Sæpè plùs minùs tument labia, et columna alæque nasi; oculus ciliaque haud rarò in partem mali veniunt; adsunt palpebris tumores et ulcera, undè oritur inflammatio adnatæ sanatu difficilis, inque opacitatem corneæ fortè desitura. Hactenùs, observandum est, dolorem adesse vel parùm vel minimè incommodum. Tumores intereà colore purpureo induuntur, iterumque mollescentes gradatim intùs sensum obscurum fluidi

fluidi subtus tactu percipi reddunt. Denique pars aliqua cutis pallescit, et humor sensim exindè exudat uno vel pluribus foraminibus. Suppuratio vix ac ne vix quidèm habeatur benigna. Nunc materies est alba, crassa, pinguedinosa; nunc autem tenuis, cumque ramulis fibrosis, instar nucleorum nucis innatantibus, in aliquid demùm transitura similitudinem lactis colostrati referens. Integumenta circum vulnus emortua fiunt, undè oriuntur fungi et ulcera fistulosa.

Omnes scrofulæ varietates ab anni tempore quodammodo pendere, non silentio prætereamus oportet: namque, labente æstate, ulcera ferè sanescunt, et omnia ad meliora vergunt; iterum sub bruma ingravatura, cùm Jupiter frigidus instat. Ita progreditur ex anno in annum, usque donec ferè sub ætate virili (cùm morbus mitis est), ex natura benigna æger evadat sanus; neque quidvis morbi reliqui in conspectum datur, nisi quædam pallidæ et læves escharæ, quæ deleri nequeunt.

Coxendix scrofulæ admodùm obnoxia extat, injuriâ externâ plerumque illatâ. Morbus primò sese apertè prodit ex tumore superiorem

rem partem cruris complectente, membro etiam laxo et tabido facto. Quò tumor auctus est, eò motus fluidi intùs digitis redditur facilius. Tunc temporis incipit cutis lucescere, neque tamen inflammatio externa datur videnda, neque dolor urget, nisi membro permoto. Hoc modo sese lentè extendit fortè per annos duos vel tres, viribus ægri indiès magis et magis imminutis. Utrisque coxendicibus vix simùl impetum facit; quanquam pro certo habetur quod, uno membro amputato, alterum sæpè correptum fuerit. Crus læsum haud rarò fit incurvum, interdùm curtius altero, quandoque etiam longius; propterea quod materies intus ligamentum capsulare sita in articulum premit, caput femoris deorsùm impulsura. In quibusdam sectionibus cadaverum factis à Dom. Ford, caput femoris etiam tumidum conspiciebatur.

Si, morbo progrediente, accideret ut dislocatio fiat, femur loco proprio restitui nequit nisi cum magno dolore. Causa frequens abscessus lumbaris, neque ossibus læsis, existit; sed

sed illi hærentem quasi comitem anchylosin sæpè videmus.

Quando genu affectum est, dicitur Anglicè *the White Swelling*. Glandulæ lymphaticæ artum circumdatæ sæpissimè læduntur, quibus primò indolentibus demùm suppurantibus, hæc forma mali benè indicatur. Nihil ferè nisi sensus rigiditatis, vel doloris, vel potiùs molestiæ, cùm plenè extendatur membrum, primò adest: membrum autem indiès tabescit; et demùm, tumore aucto, motus fluidi intùs percipi datur. Cutis livet; dolor nunc plùs nunc minùs acutus est. Ligamenta et cartilagines sæpè eroduntur, ossibus partium vicinarum ambesis carie sui generis. Cùm demùm rumpatur, quod exinde manat fluidum vix album est, sed albumini ovi maximè affine.

Nunc convertendum est animum ad scrofulam glandulas mesentericas tentantem, quæ à magno CULLENO pro specie secunda ponitur. Cùm cadavera eorum quibus scrofula lethalis fuerit ad sectionem dantur, has glandulas ferè semper plùs minùs affectas invenimus. Ex glandulis mesentericis læsis, maciem oriri ne-

cesse

cesse est, quippè per eas nutrimentum transit omnibus partibus corporis. Musculi antehàc torosi, brevì flaccidi et exiles evadunt; facies simul fit pallida, languorque generalis et aversatio soliti laboris, ægrum corripiunt. Appetitus est varius et mutabilis admodùm; quandoque præter solitum rapax. Ingens sitis adest, calorque totam superficiem, volas manuum potissimùm, urgens. Spiritus olet; et sensus anxius ducitur in abdomine, sine causa manifesta oriens recurrensque, neque solitis remediis demotus. Nunc incipit abdomen tumere. Pulsus frequens est et debilis; nasum fricat aut digitis carpit æger; alvus ferè irregularis. Signa quoque externa naturam mali faciliorem cognitu reddunt. Ossa, præsertìm ad artus, præter naturam grandia evadunt; costæ deprimuntur; spina fit incurva. Caput auctum, glandulæque lymphaticæ in variis partibus corporis duræ et inflammatæ conspiciuntur. Dolore et abdominis tumore ad maximum auctis, æger è medio abripitur. Sæpissimè tamen accidit ut nulla vestigia morbi externa lustrari possunt, cùm mesenteria im-

primis labe inficitur: æger indiès consumitur, usque donec nihil fiat reliqui corporis prætérquam ossa cute obducta.

Pulmonum, hepatis, splenisque glandulæ lymphaticæ, hoc morbo laborantes, sæpè etiam augentur et obstipantur. A diebus HIPPOCRATIS usque ad nostra tempora, quando scrofula in pulmones ruit, phthisin pulmonalem facere habita est; et mihi quidem, etsi haud ignoro quosdam magni nominis an sint ejusdem generis ancipites hæsisse, hæc sententia tamen firmo fundamento niti videtur. Phthisin et scrofulam eandem habere originem, vel potiùs equidem eosdem esse morbos sub formis diversis, fortè colligere liceat, sive ad indolem inflammationis quæ in utrisque obtinet, vel materiem in tuberculis formatam, vel juvantia et lædentia spectemus. Vix autem metus morbi in pulmones ruituri ante decimum quintum annum vitæ quàm juvenis attigerit. Hujus organi læsi indicia prima sunt difficultas spirandi; necnon tussis rauca, cumque ferè nulla expectoratione; quibus quasi comites adjungi possunt, sensus plenitudinis et nonnunquam

nonnunquam dolor obtusus lateris vel cujusdam partis thoracis. Variat pulsus; plerumqus frequens, raro autem plenus aut durus. Mucus spumosus ejicitur si quando tussis violentior fiat. Cùm hepar et lien primò tentata sunt, morbus difficilior est cognitu. Post mortem hæc organa ferè semper conspiciuntur magnoperè aucta. Ægrum, ut in phthisi pulmonali, clarè indies tabescentem videmus, tametsi causa tabis hujusce jure reddi nequeat. Interdùm sensus datur molestiæ vel doloris in regione hepatica; vix autem defectus fellis secernendæ; in ductu enim choledocho communi, nec minùs in vesicula fellis, solita copia proprii fluidi plerumque adest, etiam cùm hepar morbo laboraverit. Ast de signis quibus hæc orgna læsa stipantur, nihil habeo quod fide satis certa dicam.

Quæ homines PROCLIVIORES scrofulæ reddunt res sunt variæ. Fibræ laxæ, constitutioni irritabili, vel, ut omnia uno verbo dicam, temperamento sanguineo, ferè congenita est. Illis maximè affinis videtur quibus capilli sunt molles et flaccidi, oculi cœrulei, cutis nitida, lineamentorum

mentorum orisque conformatio venusta; attamen haud rarò etiam apparet quo cutis crassa et complexio fusca.

Liberi hominum ætate provectiorum scrofulæ procliviores ducuntur, quàm qui nati sunt patribus robustis. Noster Gregorius generosum cognovit, natum scilicèt circiter octoginta annos, qui uxorem duxit, et cujus liberi ex hoc matrimonio omnes ad unum scrofulâ affecti sunt, quamvis ambo parentes morbo carerent, neque familiis strumosis orti. Certum est, si ex analogia argumentum deducere liceat, quod pullis animalium inferiorum parentibus senio confectis natis, vires abesse solent. Licèt galli nonnulli ante ad pullos propagandos prorsùs inepti fiant quàm senio confecti mortem occumbunt, appropinquante tamen senili tempore, pulli horum gignuntur multò minores et ferè implumes, ut ita dicam; quod eorum nutritoribus benè notum.—Annon potest idem verè affirmari de pullis ovium arietum, ut quibusdam placet?

A cœlo etiam vel natura locorum aliquid pendere videtur. Loca humilia et paludosa

valdè

valdè insalubria habentur hoc malo laborantibus; tales autem effectus morbosi varietatibus mutationibusque tempestatum quæ in certis locis occurrere solent, sunt potiùs referrendi*. Et hic quoque utputà sententia magni HUNTERII mihi in suppetias venit, quo auctore scrofula grassatur communior gradus quadraginta latitudinis inter et sexaginta, rariùs sese manifestè prodens vel in regione frigidiore vel calidiore. Liberi Judæorum qui Londini habitant, et Æthiopes qui in hanc nostram regionem ventitant, hac peste sæpè plectuntur; et idem de simiis et gallinis Africanis affirmari potest; tametsi, quatenus saltem mihi cognitum, neque homines neque bestiæ talibus læsionibus in patria sua obnoxii esse videantur. Per universam Magnam Britanniam graditur pestis communis, præ cæteris autem in comitatibus

---

* "Et quidem in hac Insula, quatenus colligere possum, frequentior est (Scrofula) in locis humidis quàm in siccis." Vide Thesin elegantissimam Doctoris GREGORY.

bus Suffolciense et Lancastriense *, et in ora Scotiæ oriente vagans; quod mutationibus tempestatum subitis et frequentibus, ibi maximè pervadentibus, fortassè referre liceat. In Italia ubi loci aër siccior est cœlumque placidius, et tempestas demùm magis æqualis, vix unquam apparet. In insula verò illa australi, quæ *Otaheité* dicitur, usque gravior est et frequentior quàm in hac nostra regione, quanquam apud incolas mundities habeatur in multo pretio †.

Diæta etiam quandoque in malum cadit. Non autem in aprico est, " an diæta tenuis ex frugibus et similibus maximè confecta, qualis pauperum et præcipuè rusticorum liberi utuntur, an diæta lautior et plenior liberorum opulentiorum," huic malo magis opportuna sit. Illos esse opportuniores qui tali victu maximè utuntur, qualis vires corporis non benè sustinet, inter omnes datum est. Et quando

ho

* Vide Thesin Doctoris Wood de Scrofula.

† Vide Cook's " Voyages," passim. Wilson " On the depopulation of Otaheité." *Edin. Med. and Surg. Journal*, tom. ii. ad pag. 286.

hoc ex viscido, farinaceo et relaxante victu utendo occurrat, sic etiam, omnibus perspectis, a diæta nimis splendida et lauta, qualis ventriculum debilitet, concoctionem cibi multùm impediat, et hoc modo totum hominem debilem laxumque reddat, nonnunquam pendere videatur. Viventes maximè ex piscibus quoque procliviores esse, quibusdam placet *.

Desidia et indolentia vim tonicam corporis valdè imminuunt, et habendæ sunt itaque inter causas scrofulæ prædisponentes. Immodica dormitio, æquè ac somnus nimius, nocet admodùm. Denique sordes immunditiesque, inter causas prædisponentes scrofulæ in sue, et fortè in humano genere, recensenda sunt.

A Culleno, et pluribus quidem medicis solertibus, inter morbos hæreditarios habitos, scrofula indigitatur; neque mihi in animo est hanc sententiam prorsùs abnegare, quanquam Dominus White et alii nuper inficias iverunt. Si accuratè autem loquendum est, verum esse nequit. Annon vitium quodlibet humorum

a

* Vide Thesin Doctoris Wood.

a parentibus descendere usque ad liberos habeatur, quale morbum faciat? Minimè verò; namque si fluida inquinata essent ullo vitio immedicabili, unde veniret quod morbus suâ sponte sæpè discessisset? Hoc modo omnem genitum parentibus strumosis, etiam strumâ tentatum esse oportet; morbus autem nunquam sese manifestat nisi causis excitantibus præsentibus. Hoc igitur solùm concedi potest, nempè, talem conditionem partium solidarum et fluidarum, vel talem constitutionem corporis a parentibus ad liberos suos transmissam, qualem eos procliviores morbo reddituram et magis obnoxios causis excitantibus. Et quoniam morbus sæpiùs in temperamento sanguineo indutis occurrere solet, et corpus lacessat laxum et debile, ejusdem generis est constitutio transmissa. Hoc igitur proclivitatem scrofulæ dare habeatur; vix autem mihi persuasum sit, quos genitos parentibus strumosis ex hac re esse morbo procliviores quàm quos eadem constitutione temperamentoque instructos, parentibus scilicet qualibuscunque natos.

Causæ

Causæ excitantes sunt qualescunque vires corporis infirment, cujus generis præcipuè est cura parùm sapiens infantum, teneris scilicet in annis. Infantes per totum diem in cunis sæpè obstringuntur, in aëre impuro facto, et ulla sine exercitatione: Opiata fortè exhibita sunt ut sopiantur, necnon corpus adeò circumligatur stragulis ut vìx datur copia membrorum movendorum. Sordibus circum corpus coacervare permissum est. Ventriculus lacte stipatur usque donec plus accipere nequeat; undè fluit quod infans evadit pinguis et flaccidus, musculi ossa comprimere desinunt, et demùm excipit atonia generalis. Nutrices strumosâ labe vitiatas, inter causas excitantes annumerâsse quibusdam placuit; eodem modo ac virus syphiliticum cum infantibus communicare habentur. Interdùm apparet post exinanitiones solitas, quasi menses, suppressas. Magnarum urbium aër corruptus, necnon contusiones aut vulnera externè illata, sunt etiam inter causas excitantes recensenda. Haud rarò occurrit ut pueri hoc malo, ex contusione quàm levi inter ludendum accepta, corripiuntur.

Cæteris etiam ex morbis scrofula originem ducit. De generoso uno factus sum certior, scrofulâ nempè ineunte ætate affecto, qui, etsi omnibus hujusce mali signis annos ferè tredecim immunis persistiterat, post durum rhumatismi accessum iterùm correptus est. Et in insula illa quæ dicitur *Otaheité*, si aliquis a febre communi sanescit (primùm generis est intermittentis, dein remittentis, et vix unquàm non fatalis), scrofula, sub forma tumorum glandularum et distortionum spinæ thoracisque adeò frequentèr accedit, ut hæc horrida mala ab incolis compellantur, quasi crisis salutaris ferè certa indicia*. Variolæ nonnunquam supervenit, et, DE HAEN judice, insitæ potiùs quàm naturali; ast quum experientiâ docemur rem non ita se habere in nostra saltem regione, hominem insitioni inimicissimum fuisse suspicari licet. Quandoque etiam rubeolæ comes est, morbo scilicet non benè curato, et præcipuè sanguine

* Vide WILSON "on the Depopulation of Otaheité."—"Edinburgh Medical and Surgical Journal," tom. ii. ad pag. 285.

sanguine largiùs detracto. Quando tussis convulsiva diu perstiterit, rachitidem necnon scrofulam ciere habetur. Luem veneream, in stadio saltem provectiore, scrofulam interdum excitare, non dubitandum puto. Mihi venit in memoriam casus ubi signa scrofulæ nuncupantur non sese priùs ostendisse quàm æger annos quatuor cum dimidio se malè habuisset, hac labe neque sanatâ neque benè curatâ. Affectus demùm qui animum deprimunt franguntque, inter causas excitantes habendi sunt, quippe qui ex nexu et conjunctione animi cum corpore vires vitales exhauriant.

Scrofulam contagiosam esse neutiquam apparet; hoc saltem pro certo habeatur, quod sanos inter et strumâ læsos commercium frequens cadere potest, sine morbo communicando. Imò Dom. KORTUM pericula nonnulla instituit, hoccum proposito, ut scrofulam ab uno homine ad alium insitione transferret; morbum autem neque communicare potuit, neque irritationem vix ciere quo loco virus inseruit *.

De

* Apud RUSSELL.

De causa quæ dicitur PROXIMA multùm dissidet medicis. Si credendum sit GALENO discipulisque ejus, ex frigida et pituitosa materie oritur. Acidum, non adhuc benè descriptum, sed universum pervadens corpus, pro causa proxima scrofulæ WISEMANNUS habuit. CULLENO judice, generali acori vel acrimoniæ fluidorum, atque in casibus quibusdam nexui vel formationi peculiari glandularum lymphaticarum, attribuenda est. Cl. RUSSELL silet; verò quicquid sit, pro sedativo posuit. Attamen Dom. WHITE, sententiâ GALENI ex parte renovatâ, scrofulam oriri ex glandulis lymphatici generis obstipatis, et has obstipatas esse per lympham viscidam factam, opinatur. Atque in tenebris quibus hæc res penitùs obvoluta est, nihil verisimilius adhuc propositum mihi videtur. Quo secretiones propriæ in variis partibus corporis impediuntur, eò fluida magìs viscida et tenacia redduntur; neque fluida fieri viscida queunt, quin organa evadant obstructa. Ex historia autem morbi satis constat, partes solidas in strumosis esse laxas, et organa chylopoëtica valdè infirma, ita ut facilè

pateat

ateat unde diathesis pituitosa originem duceret. [H]inc quoque, si vis solidorum fluida compri[m]entium ad vim cohæsionis vincendam, et ad [it]er per vasa minora sine difficultate exploran[d]um, nondùm sufficiat, rationem obstructionis, [p]ræcipuè in partibus glandulosis, quo cursus [s]piralis non rectus, in manibus est reddere.

Neque tamen tacendum est, me ancipitem [h]ærere an talis obstrûctio glandularum ex vis[c]ida lympha oriens, ad rationem totius rei red[d]endam facilè sufficiat. Nam si ossa et cæ[t]eræ partes corporis hoc morbo sæpè lædantur, [u]t quidem auctor est noster cel. MONRO, annon [p]utandum est atoniam generalem et laxitatem [t]otius hominis existere? Attamen in hac labe, [g]enus lymphaticum imprimis læsum videtur.

De signis quibus scrofula a cæteris morbis [D]IGNOSCATUR, haud multis verbis opus sit. Res [c]omitantes imprimis, exempli gratiâ, tempera[m]entum ægri, labium superius et columnam [n]asi tumida,[a] necnon cætera strumosam dia[t]hesin stipantia, semper perpendere oportet. [A] syphiliticis tumoribus et ulceribus facilè [s]crofula secerni potest; pristinis scilicet affec-

tionibus

tionibus ægri ipsius et demùm parentum spec-tatis. Quinetiàm virus syphiliticum vix un-quam articulos aut glandulas colli tentar-solet: "Ossa verò duriora, media potissimùm sæpè afficiuntur." Syphilis plerumque ac-cedit post tactum impurum. Et ulcera e tumores syphilitici cursum prætereunt cele-rem; anni verò plures sæpè priùs abeunt quàm tumores strumosi vel resolutione ve suppuratione cursum abrumpunt.

Quàm rarissimè phlegmon suboritur in par-tibus scrofulæ proclivioribus; quando auten provenit, tumores sunt rubriores et magis in-flammati; citiùs materescunt, et pus quàm i strumosis benigniùs ad album punctum, inte maturandum, formatum, videre licet.

Tumores scirrhoideos inter et strumosos, e potissimùm internoscendum, quod illi fer semper glandulas conglomeratas tenent, qua mammas mulierum et testes marium; hi auten contrà, glandulas conglobatas maximè sibi vin dicant. Scirrhus inflammationi præcident nec rarò, supervenit; tumores scrofulosi an teunt: strumosi quàm scirrhoidei etiam dc

lor

ore minùs afficiuntur. Postremò scirrhus inum tenet locum; scrofula autem sedem prinariam sæpè prorsùs mutat, et alibi corporis nascitur.

Steatomata non in genere lymphatico, sed n tela cellulosa imprimis, et ubiquè corporis, ormantur.

Robur corporis, anni quos habet æger, necion sedes morbi, maximam attentionem in PROGNOSI formanda jure sibi vindicant. In unioribus, si ùna pars sola læsa fuerit, morbum non futurum esse sanatu difficilem judicemus licet. Quò autem diutiùs persstiterit norbus, eò ægrior est sanatu, neque omninò expectandum est debellari posse viribus solis naturæ.

Sedem morbi etiam benè notare, quàm maximè oportet. Quando scrofula mesenteriam aut pulmones lædit, periculum magnum instare confitendum est, neque ullis fortè remediis adhibendis mortem etiam citam avertere possumus. Cùm glandulam urget thyroidæam, eventus fatalis nonnunquàm insequitur; namque

que hæc glandula œsophagum comprimens mortem ferè inducit, vel suffocando ægrum vel fame consumendo. Cùm coxendix est pars affecta, et æger adhuc juvenis, evasurum esse sanum ad ætatem pubertatis haud ineptè speramus, membro tamen alteri dispari et exili relicto. Item articulo genu affecto, et pure ibi formari permisso, morbus ad finem vel e medio tollit ægrum febre hecticâ, vel claudum exilemque relinquit. Quum verò hic sæpè ad morbum coërcendum valemus, et remedium excisionis semper in manibus est, discrimen vitæ et salutis quàm in plerisque cæteris casibus multò minùs habeatur.

Curam PROPHYLACTICAM maximè in infantibus spectandum est. Quod aër impurus, qualis magnas urbes circumdat, semper multùm nocet, ventilatio sedulè adhibeatur, et itinera ad loca ruralia suscipiantur. Usquè magis refert omnium mundities corporis. Si infantes cubitum eunt madidi sordibusque obducti, multa mala exindè fluere necesse est. Et cùm exercitatio quàm maximè valet ad solida corporis firmanda, membra infantum arctè

constringi

constringi nequaquam decet, et multò minùs dandum est operam opiatis ut totum diem in cunis agere iis persuasum sit. Infantes non modò fricare et benè indiès lavare, sed etiam in aqua submergere oportet, sicuti mos est populis Orientis, quo fortè fluat ut vix unquam scrofulâ correpti sunt. Si lac nutricis ad justum nutrimentum præstandum haud sufficiat, lac cæterorum animalium, cum mica panis, diætæ solidæ adhuc anteponendum est.

Vestitus infantum ad tempestatem cœlumque est probè æquandus. Æstate volvente fervidâ et apricâ, nimius vestitus quàm maximè nocet; cùm autem pluvius Jupiter urgeat, atque hiems tenebrosa et frigida faciem cœli nubibus obducat, frigori humoribusque occurrere oportet amictu calidiore induendo. Ut infantes cubitum irent cùm primùm nox advenerit, nec minùs è lecto quàm multò manè exsurgerent, ita tamen ut per spatium novem aut decem horarum somnum captare possent, quibusdam monemur: Sed apud Dom. WHITE, in cujus sententiam potiùs eundum puto, som-

nus usque tam longè deductus haud innoxius habetur.

Cùm morbus sese apertè ostenderit, tres sunt indicationes CURATIVÆ; nempè,

Cachexiam generalem corrigere;

Tumores removere; et

Quædam signa levare.

Pro his autem propositis perficiendis, remedia tam varia ex usu ducuntur, ut discrepantia quæ obtinet sententiarum et praxeos in memoriam revocet impotentiam medicinæ, quippè quæ haudquaquàm multâ pollet vî ad hanc pestem occurrendam.

1*ma indicatio*,—Cachexiam generalem corrigere.

Et hic imprimis, diæta maximi est momenti. Usui spirituosorum liquorum sit vetitum, neque ullis cibis, nisi qui sunt faciles concoctu, permittatur. Lac asinorum, nec minùs vaccarum (quod ferè semper utendum est stadio provectiore), sat præbet nutrimenti, et vix

unquam

unquam ventriculum gravat. Attamèn semper cavendum est ne vires corporis infirmentur diætâ nimis tenui *. Quando diæta ex carnibus confecta datur, præstat ut caro sit animalis ætatis prævectioris, quippè quæ ventriculo potissimùm placeat. Magis etiam convenit super craticula torrere, quàm ex aqua coquere. Aqua fontana optimum potum præbet, et, ex fermentatis, liquor vulgò *Porter* dictus.

Quoad medicamenta, notandum est imprimis usum aquarum mineralium. Cl. CULLENO judice, aqua ipsa elementaria maximam venit in partem auxilii, quippe quæ vasa lymphatica detergat atque a viscido muco expediat. Ad hanc sententiam saltem confirmandam licet observare, quod aqua ferè omnigena, scilicet salina, sulphure aut chalybe mixta, pari fructu

* "Experience and more accurate observation have now fully confirmed the pernicious effects o that over-abstemious system, and have deservedly brought it into discredit."

RUSSELL's Treatise, ad pag. 48.

fructu exhibetur. Aqua marina primos occupavit honores, et sæpiùs a medicis præscribitur; neque desunt multa testimonia bonorum fructuum exindè excerptorum. Balneum marinum quoque, vel tepidum vel calidum, prout a constitutione ægri indicatum, maximi est momenti.

Aquas Moffatenses, quæ aliquantulum sodæ, unà cum sulphure continent, quis non audivit laudatas? Et hoc quidem præ cæteris illis honori est, quod ad omne stadium morbi æquè idoneæ habentur. Noster celeberrimus HOME mentionem facit pueri unius scrofulâ læsi, quem aquæ Moffatenses morti eriperent, et cujus membris priùs distortis ferè pristinum vigorem et formam redderent, quamvis juxta amputationem antehac ventum fuisset.

Aliud remedium quo corrigitur habitus generalis est usus hydrargyri. Hydrargyrum vix ac ne vix quidem in suis manibus profuisse CULLENUS testatur; cæteri autem laudibus extollunt maximis. FOTHERGILL*, parvas

---

* Vide "London Medical Observations," vol i.

vas doses calomelanos unà cum cinchona dare admonet. WISEMAN, chirurgus illius CAROLI Secundi, tantùm in illo fiduciam posuit, ut non affirmare dubitat scrofulam vix sanari posse sine aliqua hydrargyri præparatione. VAN SWIETEN etiam sublimato corrosivo uti solitus est, "corporis habitum mutandi consilio;" et apud Dom. WHITE, qui auctor est inter novissimos, præparationes hydrargyri remedia fide dignissima habentur. In hydrargyro verùm utendo semper cavendum est, ne vel manu largiore, vel tempore haud idoneo exhibeatur. Cùm adest valida diathesis phlogistica, vel ulcera in inflammationem abeunt, vel febris hectica instat urgetque, nequaquàm utendum puto. In talibus quidem circumstantiis, pro rata vi stimulante, vix innoxuum esse potest. Meliùs datur parvis portiunculis, horâ somni, consilio diutiùs in intestinis retinendi et ægri a frigore servandi.

Cinchonam, quod ad laxitatem flacciditatemque pertinet, in bonum casuram esse expectemus licet. Copiosè et diù sine ullo fructu percepto vel ulceribus vel systemati generali, mihi

datam

datam vidisse accidit; neque celeberrimo CULLENO vix alitèr veniebat. Quando fructus inde percipitur, vi tonicæ utputà tribuendus est. Hoc modo etiam vinum Lusitanum et præparationes ferri prosunt.

Medicus chemicusque insignis Dr ADAIR CRAUFORD, ut promptam salinam præparationem mole quàm parvâ compararet, muriatem induxit barytæ. Et noster GREGORIUS (etsi medicamento neutiquàm confidit) mentionem facit dominæ unius phthisi correptæ, ulceribusque externis fœdæ, et demùm adeò fractis viribus ut necesse erat suam relinquere domum, propterea quod ascendere per scalas et descendere nequivit, quæ tamen vires et sanitatem, muriate barytæ solo utendo, vel potiùs dum illo uteretur, ita recuperavit, ut usque in præsentia post ferè quindecem ânnos lapsos prosperâ fruitur valetudine. Cavendum est tamen, ne tali copiâ detur qualis in venenum abeat. A quibusdam auctoribus murias calcis similes vel usque meliores effectus edere commemoratur. Meliùs datur in forma fluida; cùm verò copia aquæ exhalatæ per evaporationem,

vel

vel perstante effervescentiâ, multùm variat diversis temporibus, pro medicamento eadem vi semper obtinendo, ad aliquam normam reduci oportet, scilicet per gravitatem specificam præscribendam, ut mihi videtur.

Tussilagini, cui olim vires specificæ attributæ sunt, nemo hodiè confidit. Conium maculatum quasi anodynum habetur; acorem fluidorum corrigere ducitur, necnon suppurationi benignæ favere. Spongia usta non locum tenet in Pharmacopœia nostra.

Cæteris autem prætermissis, quasi vi minore pollentibus, demùm commemorandum est remedium efficacissimum, nempè mutationem cœli. Satis inter omnes constat, ex experientia observationibusque multis, scrofulâ læsis quàm migrationem ad cœlum calidius, nihil magis prodesse. Qui ad hanc rem nunquam animum intenderunt, illis vix credibile est quantùm calor vernalis atque æstivi temporis, usque in hac nostra regione, ad signa phthiseos lenienda et ulcera strumosa sananda, valet *.

Inter

---

* Vide Monita et Præcepta Medica Doctoris MEAD, et Thesin Doctoris GREGORY, passim.

Inter alia, ipsa itineris exercitatio, stimulusque animo adhibitus ex novis rebus videndis, vix non in salutem ceciderint. Loca sicca, impetu Aquilonis Cæciæque benè munita, necnon a paludibus stagnantibus longè remota, maximum beneficium intendunt. Quò propiùs oram maris, eò aër est purior.

2da indicatio—est tumores removere.

In phthisi pulmonali illustris BEDDOES digitali sæpè usus est, non sine fructu percepto. Annon foret auxilio usque strumosis tumoribus, si per spatium longum perduceretur, nunc scilicet intermissa pro tempore sicuti requiri videatur, et demùm post intervalla idonea rursùs adhibita?

Quamvis hydrargyrum annumeravi inter remedia quæ ad generalem cachexiam amovendam censentur pollentia, nihilominùs tamen usque ad obstructiones locales obsistendas valet. Hinc multùm refert ægri hydrargyrum non modò internè usurpare, sed etiam unguento mercuriali partes læsas fricare. Tumoribus usque duris perstantibus, vapores aquæ calidæ ex apparatu qui dicitur Anglicè

Mudge's

Mudge's Inhaler, benè orituri, sæpè in salutem cadunt.

Folia conii maculati, sub forma cataplasmatis applicata, et cum saccharo saturni benè admixta, maximè valere habentur adinstar discutientium.

Dr DUNCAN, Medicinæ Theoreticæ Professor eruditus, electricatatem in scrofula et carcinomate medendo bonos effectus sæpè edidisse commemoravit. Aliis remediis forsitan probè jungeretur, ad strumosas læsiones artuum sublevandas.

Quando artus affecti sunt, et morbus per longum temporis spatium extitit, medici ægrum suo fato mandare solent, quasi opem tolerare nequiret. Excisio, cùm vires situsque patiantur, optimum vel potiùs unicum remedium habetur; præstat tamen, saltem primo stadio, ad membrum servandum operam dare. Certè licet conatum facere linimento camphorato partem dolentem fricando, necnon epispasticis sæpiùs applicandis, vim vasorum resorbentium promovere, nequaquàm intereà præ-

 termissis

termissis cæteris remediis jam suprà dictis. Prosunt etiam fonticuli et setacea.

3*tia indicatio*—est quibusdam signis opem ferre.

Quando non in promptu est tumoribus in suppurationem abeundis obviam ire, præstat lanceolâ apertos dare; ex mora enim interposita, debilitas et irritabilitas corporis multò auctæ veniunt. Cl. noster GREGORIUS nuper tentamina nonnulla fecit, quando tumores ad cervicem siti sunt; escharæque evaserunt multo minore mole (nec demùm adeò deformes) quàm illi vix anteà unquam vidisse evenerat. Pro ulceribus probè sanandis, cicatriceque obducendis, eorum superficiem limaturâ ferri conspergere monemur. De cataplasmatibus oxali acetosellâ et conio maculato confectis, quasi ad ulcera sananda spectantibus, nihil habeo quod dicam.

Magnus CULLENUS hortatur, lintea aquâ madefacta partibus applicare; oportet tamen aquam puram esse; nam salina stimulum nimis validum adhibet, et idem potest affirmari quando chalybe admixta.

Interdum

Interdum accedit catarrhus, cui in ipso limine occurrendum est, sæpè enim et molestus devenit et periculosus. Hoccum consilio hirudinibus, cucurbitulisque cruentis, vel detractione sanguinis, utimur; si autem quandoque urgeat tussis, necesse est levamen afferre paucis granis opii exhibendis. Semper interea cautum esse oportebit catharticis ne alvus sit dura; cùm autem morbus vires eundo acquisiverit, et alvus nimis cita fuerit, tunc temporis resistendum est opiatis cæterisque astringentibus.

Piget me, jam finem huic tentamini imposYiturum, confitere, nullum esse remedium adhuc cognitum quod multâ pollet vi ad hoc malum vel sublevandum vel penitùs tollendum. Quem autem bonus Deus, misericordiâ in gentes miseras permotus, miro dignatus fuerit honore tale remedium in lucem proferrendi, illum monumentum gratis animis usque serorum nepotum exstructum manet, "quod non possit diruere innumerabilis annorum series."

FINIS.

NARROW GUTTE